



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Quod amori Dei est insistendum, 21

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](#)

CAPVT XXI.

Quod amori Dei est insistendum.

¶ **I**Nsistendum est (clementissime Domine Iesu Christe, amator bone) dilectioni tux; quia dilectio non est nisi boni, & tu es fons totius bonitatis. Tu es pater creatione & deitate: Tu es frater redemptione & humanitate: Tu es Dominus naturalis, non extraneus. Quicquid habemus, à te habemus; & in fine à te expectamus præmium sempiternum. Et ideo conveniens est, ut te diligamus, & tuæ dilectioni continue insistamus, sicut scribitur: *Audi Israël, quid nunc requirit Dominus, aut quid petit à te? Nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus: & diligas eum, & servias ei in toto corde tuo, anima & mente tua: custodiasque mandata Domini, ut bene sit tibi.* Israël quilibet fidelis Christianus, per fidem te videns: qui ad diligendum te maxime est astrictus, qui à te magis dilectus. Nam dilexisti nos, & lavisti in sanguine tuo. Tu consulis nobis, & mones dulciter, non acriter, quæ à nobis requiris: scilicet, ut te timeamus, dum dicitur: *Vt timeas Dominum Deum tuum.* Vnde in timore tui originem suam habet dilectio; quia scriptum est: Timor Domini initium dilectionis. Quæ vires accipit & augetur exercitio aliarum virtutum, dilectione imperato. Et ideo dicitur: *Et ambules in viis ejus:* id est, bonis operibus; utpote, elemosyna, jejunio, oratione, & cæteris. Et his

his enim vegetior redditur dilectio , sicut
ignis lignorum appositione.

2. Completur autem dilectio tui Domi-
ne ex affectu interioris amoris ; ideo dici-
tur : *Vt diligas Dominum Deum tuum.* Com-
pletur etiam ex actu exterioris honoris :
ideo dicitur : *Vt servias ei in toto corde tuo, ani-
ma, & mentetua.* Conservatur denique man-
datorum tuorum observatione , ideo dici-
tur : *Custodiasque mandata Domini , ut bene sit
tibi.* O benignissime Domine Iesu Christe ,
quem justissimum est amari , utilem & salu-
brem regulam te diligendi nobis clementer
dedisti . Nam summæ æquitatis est , ut te ti-
meamus ; summæ levitatis , ut in viis tuis
ambulemus ; summæ bonitatis , ut te dili-
gamus ; summæ dignitatis , ut tibi servia-
mus ; summæ æquitatis & sanctitatis , ut
mandata tua custodiamus . O piissime Do-
mine Iesu Christe , amator misericors & ju-
ste , non ponderes peccata mea ad vindic-
tam , sed misericorditer mihi ea condonare
digneris : desque mihi gratiam tuam , ut
per timorem tui , oriatur in me vera dilectio
per affectum interioris amoris , & per actum
exterioris honoris compleatur , & per obser-
vationem mandatorum tuorum conservetur ,
ut mihi bene sit te amando , nunc & in per-
petuum , Amen.

C A P V T XXII.

De utilitate & facilitate amoris.

I. **V** Erba tua verissima sunt , misericor-
dissime Domine Iesu Christe , (ex-

Z 5

em-